

DE RATIONE FORMALI SACRIFICII MISSAE.

1.

Quaestio Resolvenda: Quomodo in duplici consecratione verificetur ratio sacrificii veri et proprie dicti. Primum suppositum et quidem de fide accipiendum, in hac questione solvenda, est quod missa sit verum et proprie dictum sacrificium; alterum, quod in duplici consecratione sola perficiatur verum et proprie dictum illud sacrificium. Notatum volo etiam Ecclesiam non definisse elementa essentialia veri sacrificii constitutiva.

SENTENTIAE THEOLOGORUM:

SUAZES: (d. 75.s.5, nn.2,6)"hoc est singulare et excellens in hac sacrificio, quod per se prius est ad efficiendum quam ad destruendum." Consecrationi competit ratio sacrificii, quia per eam destruitur panis et vinum, in ordine ad Christum producendum. In hoc sacrificio, aliter quam in sacrificiis V.L., quod producitur, id principaliter intenditur et offertur, non quod destruitur.

CRISIS: Dicere aliquid sacrificari, quia in honorem Dei producitur est "contra communem omnium concipiendi et loquendi modum". Ita Lugo. Porro nullum invenitur fundamentum talis sententiae in Traditione. Nec vere dicitur panis destrui in ordine ad Christum producendum. Vix ullum, si ullum, habet Suarez sectatorem in hac re.

LESSIUS: (De Perfect. div. 1.12,c.13,n.97)"corpus ut positum sub specie panis et sanguis ut sub specie vini se habent ut terminus immolationis seu actionis sacrificandi...Nec obstat veritati hujus sacrificii, quod non fiat re ipsa separatio sanguinis a carne, quia id est quasi per accidens propter concomitantiam partium Nam quantum est ex vi verborum fit vera separatio. Et hoc sufficit." Quare consecrationi competit ratio veri sacrificii, quia est actio de se tendens ad occidendum Christum. Per accidens irritatur haec actio occisiva.

CRISIS: Christus caret statu hostiae verae ex occisione illa conditionali. Haberetur forsan vanum tentamen sacrificii, verum sacrificium nullum. Porro vi verborum ponitur id quod sensus verborum ex significatione sua formali infert. Non autem infert ex se corpus exanime plus quam corpus animatum; sed tantum corpus uti existit, qualecumque contingit esse. Ut vera esset sententia Lessi, deberet illa vox, corpus, de se excludere sanguinem. Quis hoc diceret!

VASQUEZ: (in 3P.,d.222,7-9, praesertim n.68) "dico igitur actionem consecrationis eatenus solum sacrificium, seu actionem immolandi esse, quatenus per illam efficitur, ut ipso corpore et sanguine Christi consecrato et realiter ibi contento, cruentum illius sacrificium, quod in cruce oblatum est, repraesentetur." "Tota ratio sacrificii Missae, quo Christus immolari dicitur, est ipsa repraesentatio mortis Christi, atque ita, ea sublata, tota ratio veri sacrificii tolleretur."

CRISIS: Mera repraesentatio sacrificii olim peracti, non potest constituere verum sacrificium praesens. Sacrificium enim omne in oblatione verae hostiae positum est, nec verum erit, si

desit veritas hostiae aut veritas oblationis. Veritas autem hostiae deest, ubi habetur tantum representatio veri sacrificii. Neglexit Vasquezius verba illa Conc. Trid. "in divino hoc sacrificio idem ille Christus continetur et in cruce immolatur."

BILLOT: (I, th. 54) "Consecrationem habere in se rationem sacrificii, formaliter et praecise in quantum est incruenta Christi immolatio, per sacramentalem seu mysticam corporis a sanguine sub distinctis speciebus panis et vini separationem." "Sistitur in altari Christus et praesentatur Deo in habitu passionis et mortis, quam semel pertulit in cruce; in qua praesentatione consistit incruenta immolatio."

CRISIS: Etiam in hac sententia caret Christus statu victimali. Etenim inducitur hic status per immolationem mysticam. Apparentia tantum hujus status coram fit. Hoc ex mente Eminentissimi nostri. Nec supponit Billot Christum esse iam in statu victimae, et ut victimam sisti in altari. Potius urget victimam non requiri in sacrificio. Sufficit haec immolatio mystica, similitudinaria, sola ad significandam nostram internam deditionem Deo factam. Sufficit quidem significationem illam referre, si vultis, sed non per viam veri sacrificii. Multifarie multisque modis possumus sensibiliter significare, protestare nostram sub Deo dependentiam. Sed nisi donum oblatum habeat proprietatem aliquam immolationis realis, protestatio nostra non erit sacrificialis.

Ceterum, factum si respicimus, Christus oblatus in hoc sacrificio habet proprietatem veram et realis victimae immolatae ex physica immolatione in cruce peractae. Confer nostram sententiam.

LUGO: (de. Euch. d. 19, s. 5, nn. 65-67) "Hoc supposito (aliud esse destrui physice, aliud destrui humano modo, in quantum scilicet reducitur aliquid ad statum aliquem inutilem ad priores actiones, quo modo sacrificabant veteres, proicientes aliquid in mare vel in fluvium) facile erit intelligere, quomodo consecratione ipsa sacrificetur corpus Xti. Nam licet ipsa consecratione non destruat substantialiter, sed tamen destruitur humano modo, quatenus accipit statum decliviorum et talem, quo reddatur inutile ad usus humanos corporis humani et aptum ad alios diversos usus per modum cibi... Quae mutatio sufficiens est ad verum sacrificium. Fieri enim comestibile ut iam non sit utile ad alios usus nisi per modum cibi, maior mutatio est, quam aliae quae ex communi hominum mente sufficiebant ad verum sacrificium."

FRANZELIN: (th. 16) "Identitas rei alibi oblatae vero sacrificio nihil confert ad veritatem sacrificii praesentis, nisi hic et nunc inducatur verus status victimae..." P. 369 "Dicimus statum victimae induere Xtum eo ipso, quod se constituit in statu cibi et potus... ut desinat omnis actus connaturalis vitae corporeae pendens a sensibus; ut nihil secundum corpus possit connaturaliter; ut corpus ejus et sanguis permittatur quodam modo arbitrio creaturarum non secus ac si esset res inanimata... Formaliter ut constituitur in sacramento, non solum prae nostra perceptione, sed realiter et in se ibi constituitur modo inextenso, et ideo citra actus connaturales vitae corporeae, et citra connaturalem facultatem ad tales actus." pp. 369, 374, 380, 382. "Quamvis haec ita sint, quando agitur

de virtute naturali, videtur tamen dignitas S.S. humanitatis exigere vel certe eius dignitatem decere, ut Verbum supernaturali modo tribuat suae humanitati etiam in hoc statu exercitium sensuum corporis...Haec sententia videtur probabilissima et pia." pp.166, 167.

CRISIS: De tali immolatione reali nil in traditione, nec similis ullibi invenitur in sacrificiis, quae pro figuris huius sacrificii habebantur. Quid? Repellobant a Xto in SS. Sacr. omnem immolationem praeter representativam, sacramentalem et PP. plurimi et TTH. cf. de la Taille, pp. 308-312 et 238-253. Libet hic citare S. Thomam, qui nil nisi quod in scholis traditum est, innovavit cum scriberet: "celebratio autem huius sacramentum imago quaedam est repraesentativa passionis Xti, quae est vera eius immolatio. Et ideo celebratio huius sacramenti dicitur Xti immolatio." 3,83,1. Et iam antea scripserat S. Aug. "ipso die dominico dicimus, hodie Dominus resurrexit, cum ex quo resurrexit tot anni transierint. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos nisi quia istos dies secundum illorum quibus haec gesta sunt, similitudinem nuncupamus.. ut dicatur illo die fieri, propter sacramenti celebrationem, quod non illa die, sed iam olim factum est? Nonne semel immolatus est Xtus in seipso, et tamen in sacramento non solum per omnes paschae sollemnitates, sed omni die populis immolatur, nec utique mentitur qui interrogatus eum responderit immolari? Si enim sacramenta quaedam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacr. non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt." P.L.33, 363,364, Ep.98.

Talis singularissima humiliatio Xti in statum decliviorum non potest intelligi non pugnare cum Xti in coelo immutabilitate, gloria nunquam diminuenda: vita nunquam iterum in mortem tradenda.

SECUNDUM FRANZ: eiusque sequaces:

i. nisi hic et nunc inducatur verus status victimalis, nullum sacrificium. ii. status ille inducitur eo quod desinat omnis actus connaturalis vitae sensitivae. iii. de facto non desinunt hi actus ob interventionem supernaturalem. Verbi.

None ergo irritatur illa reductio ad statum decliviorum, in qua consistit immolatio praesens et realis et physica, quam requirunt illi auctores ad sacrificium verum et praesens? Sane status in quo activitas vitalis sensuum impeditur nulla, adiecte miraculo vel non, nequit dici declivior ratione activitatis vitalis sensuum impeditae. Esset impedita, nisi intercederet miraculum. Et quomodo iam non eidem obnoxius est Franzelin obiectioni, quam contra Lessium movet ipsius patronus Lugo? Si ictu gladii percuteretur ovis in sacrificio, Deus tamen miraculose penetraret gladium cum guttere ovis ita, ut non consequeretur occisio nec vulneratio, vere non diceretur ovis sacrificata...Sic etiam contingit in praesenti.

Porro Missa esset sacrificium ita absolutum, ut consisteret etiam remota passione; quod sane PP. praedicationi contradiceret. Mutatio illa existentiae nobis constitueret sacrificium distinctum a cruce, quod efficaciam discretam ac diversam ex se necesse est sortiatur. Ergo non semel sed saepe intrat noster etiam pontifex

in sancta sanctorum ut saepe offerat hostiam, ut saepe immolet victimam. Nonne ergo oportet Xtum pati ab origine mundi? cf. ad Hebr.9, 11-28.

Quod facimus in Missa, fecit Xtus in coena. Obtulitne Xtus in coena sacrificium distinctum prorsus a cruce, in se habens omnia elementa veri, praesentis sacrificii, et quidem in remissionem peccatorum? Erantne remissa omnia omnium peccata vi istius sacrificii; an nobis dicendum irritum illud primum sacrificium Xti, irritum unicum sacrificium a Xto oblatum secundum ordinem Melchisedech? Cf. infra.

OBIECTIONES

1. apud auctorem 659, 1.
2. apud auctorem, ibid., 2.
3. De facto negari nequit Xtum in sacrificio missae se annihilasse modo novo atque inenarrabili. Atqui, Ergo.
R. Dist. Mai. si questio est de eo, quod apparet, C.
 si de eo, quod revera afficit Xtum in seipso N.

Ratione apparentiarum, seu specierum, quibus subest, Xtus est cibus et potus corporalis, velut res inanimata. Sed estne Xtus ad factum quod attinet cibus corporalis, aliquid potabile? Ex parte indumenti symbolici, sane. Sed per hoc nulla proprietate immolantia afficitur realiter et intrinsece, sed specientenus tantum. Interim nos cum adversariis quaerimus, unde habeat Xtus conditionem hostiae veram et intrinsecam, nec fictam tantum.

CONSECRATIONI COMPETIT FORMALIS RATIO SACRIFICII, QUATENUS EST MYSTICA IMMOLATIO, PER QUAM DENUO DEO PRÆSENTATUR ET OFFERTUR IPSA VICTIMA IN CRUCE CRUENTER IMMOLATA, PERSEVERANS UT VICTIMA ACCEPTATA IN ÆTERNUM.

Theologi saec. 16 argumentis pressi Novatorum, qui negabant veritatem sacrificii in nostra missa, ut fidem defenderent in Ecclesia universalem explicarentque, hoc sibi sumpserunt problema enotandum, qualiter destruaturs Xtus, cedentes labyrinthea torquerentur ipsi. Quaerebant enim quod quaerendum non erat nec inveniendum. Quanto feliciter rem perfecissent, si litationem primi et summi Sacerdotis Novae Legis considerassent atque intimius examinassent, cuius nostrum sacrificium, quamvis verum et proprie dictum ipsum, est tamen essentialiter et commemoratio et repraesentatio. Quod Xtus fecit in coena, hoc idem, admissis differentiis accidentalibus, faciunt sacerdotes in missa. "Hoc facite..."

Hanc viam elegit P. de la Taille ad solutionem nostrae questionis quomodo consecrationi competat formalis ratio sacrificii, his praecipuis mensuratis stadiis:

- I) SACRIFICIUM CHRISTI: Passio D.N.J.C. est verum sacrificium, omnia habens elementa. Hoc quidem nullus Catholicus, salva fide, potest negare. Elementa autem invenire si volumus.
- i) VICTIMA ET REALIS IMMOLATIO FACILE NOBIS occurrunt. Verum oblationem liturgicam, rituales, sacerdotalem, sensibiliter peractam non invenies in cruce, neque in hortu, neque in stratis viis civitatis sanctae, sed tantum in coenaculo dum peragebatur ultima coena. Ibi certo agit Xtus respectu suae passionis sacerdotem, id agens unde existeret hostia. Quare non nisi in coenaculo inveniri potest.
 - ii) OBLATIO LITURGICA. In coena Xtus liturgice, sacerdotaliter Deo obtulit passionem suam et mortem. Hoc postea probabitur ex S.S., PP. Liturgiis.
 - iii) ACCEPTATIO. In resurrectione et ascensione et sessione coelesti Deus manifestavit suam acceptationem et ratificationem huius hostiae immolatae in cruce realiter.
 - iv) VICTIMA PERENNIS. Haec hostia, Deo oblata, immolatione reali illa perit, sed non irreparabiliter. Vivit enim eadem hostia, aeternaliterque vivet ut res Deo propter illam immolationem realem sacrata, ab ipsoque acceptata, coronata, glorificata, hostia coelestis sed hostia, Agnus Dei in aeternum.
- II) SACRIFICIUM NOSTRUM. QUOD FECIT XTUS IN COENA, FACIMUS IN MISSA. Quare et nos sensibiliter Deo offerimus passionem Xti et mortem. Offerre Xti passionem et mortem est offerre Xtum passum et mortuum. Offerre Xtum passum et mortuum est sane offerre victimam formaliter ut victimam. Et quamvis victima sit nunc glorificata, eius gloria ipsa parta est per litationem illam semel factam a Xto coenante et patiente ac a Patre in aeternum ratam ac sancitam. Nec gloria illa privat Xtum statu immolato, statu scl. rei nunc a Deo possessae propter sacrificiationem oblationem et immolationem, realem et cruentem.

Quibus dictis, iam aliquot capita huius sententiae uberius explicemus.

1. Iuxta differentias temporum magnum intercedit discrimen inter Xti oblationem et nostram. Ille quidem obtulit id, quod nondum erat, sed erat futurum; nos vero offerimus id, quod iam actum est. Xtus cum ante passionem litarit, ad passionem se obtulit immolandum; nos autem post passionem offerentes, victimam Deo damus iam immolatam dudum, manentemque in suo statu victimae perenni. Offerimus corpus et sanguinem Xti, non amplius ad hoc ut passionis hostia fiat, sed quatenus ex passione iam hostia facta est. Oblatio utraque, quae realis est et praesens et immolatione mystica peracta, habet suum complementum, sed aliter et aliter, in passionis immolatione reali, ex qua sola accipit victima oblata realem proprietatem immolatitiam. Sed coena expectabat hoc complementum, quod missa praesupponit.

2. Unde et aliud discrimen notandum. Statim post consecrationem sacrificium in coena oblatum non absoluebatur, sed inchoatum decurrebat usquedum Xtus moreretur. E contra, statim post consecrationem absolvitur nostrum sacrificium missae.

3. In sacrificio ab Ipso Xto oblato invenietur tandem immolatio realis (i.e. immolatio, quae ipsam rem intrinsece afficit, non tantum ut immolatam repraesentat), ita ut tale sacrificium nominetur cruentum. Oblatio ipsa exinde cruenta dici potest, si quidem est oblatio in ordine ad cruentam immolationem et perseverat, iam in coena sacerdotally, liturgice facta, sub actu cruentae immolationis. In nostro autem sacrificio missae nulla invenitur realis immolatio. Quare et sacrificium nostrum et oblatio non nisi incruenta dici potest. cf. St. Th. 3, 88,1, citatum supra. etiam 4 Sent.

"Sciendum est quod omnia illa verba quae important comparisonem Iudaeorum ad Xtum et poenam Xti, non dicuntur fieri cotidie... Illa autem quae important comparisonem Xti ad Deum Patrem, dicuntur fieri cotidie; sicut offerre, sacrificare et huius modi, et hoc modo est semel oblata per Xtum, quod cotidie etiam per membra ipsius offerri potest, eo hostia illa perpetua est."

Oblatio Xti in coena, supposita immolatione in cruce a Iudaeis deicidii peracta, et a Xto voluntarie non impedita, nobis praebet sacrificium numerice unum. Oblatio autem nostra in missa eiusdem victimae ex eadem immolatione perfectae, nobis praebet sacrificium unum; quod, quantum ad sacrificium passive inspectum, numerice est unum cum sacrificio Xti; ad sacrificium autem active inspectum quod attinet, numerice est diversum sacrificium, illam solam unitatem retinens, quae ex subordinatione exurgit unius offerentis alteri, ministrorum plurium sacerdotii participati uni Sacerdoti Summo, Qui semel Ipse solus pro nobis litavit, nunc pluries pro nobis et per nos litat.

ADVERSARIUM: In genere sunt omnes illi, qui volunt missam esse sacrificium verum in se completum sine intrinseca dependentia a cruce, ita ut sit sacrificium, etiam si passio et mors non fuissent. In specie sunt:

1. Qui dicunt Xtum in missa induere realem quondam et novum statum immolatitium in missa cuavis. Ita Lugo, Franz.

Adversarii:

2. Qui negant Xtum ullam habere proprietatem realem immolati-
 in missa, esse victimam realem. Ita Lessius, Vasq. Billot.
 N.B. Quamvis omnes hi auctores, magni sane nominis inter theologos
 sunt nostri adversarii, non tamen inter se uniti stant contra
 nos. Alius enim etiam ex illis aliam tradit sententiam sibi
 propriam.

NOTA: Inter omnes sententias maxime probabilis; absolute non comparat-
 ive inspecta, rationes habita argumentorum positivorum, nostra
 est sententia valde probabilis et nunc videtur communior. Traditur
 in Univ. Greg. in Urbe, in Coll. Orensi, San Anselmo, Romae, (O.S.B.)
 in Inst. Theol. Parisiensi, Accipitur in Civ. Cat., Theologische Revue,
 Pastor Bonus, a d'Ales, Lebreton, Gagnon, Laval, Can. Valde laudatur
 a nonnullis theol. O.P. C.S.S.R. et in seminariis dioces. e.g. Philadel.
 cf. Reply, p.4, n. Ir. Eccl. Rec. vol. 24, p.311-312.

ARGUMENTUM: Consecrationi competit formalis ratio sacrificii, quatenus
 dicit omnia elementa intrinseca sacrificii veri et proprie dicti.

Atqui: consecratio dicit omnia elementa..., quatenus est mystica
 immolatio per quam denuo Deo praesentatur et offertur ipsa victima in
 cruce cruentur immolata perseverans ut victima acceptata in aeternum.

Ergo...

Ad Min: Duo sunt hic probanda I. Suppositum, III. Assertum.

Suppositum est quod Consecratio est talis immolatio et
 continet quattuor partes: 1.) Consecratio est immolatio mystica;
 2) Consecratio est simul oblatio realis per quam Xtus Deo praesentat-
 ur et offertur sensibiliter et liturgice; 3) Offertur Xtus ut victima
 in cruce cruenta immolata; 4) Offertur Xtus ut victima perseverans
 in aeternum acceptata. Assertum est quod omnia elementa sacrificii
 proprii dicti verificantur in tali immolatione.

I. Probatur Suppositum per partes.

i) Consecratio est immolatio mystica. Patet omnibus, siquidem sacram-
 entaliter, specietenus separatur corpus a sanguine.

ii) Consecratio est simul oblatio realis per quam Xtus Deo praesenta-
 tur et offertur sensibiliter et liturgice. Hoc etiam ab omnibus admit-
 titur. Praesentatur enim et offertur Deo id quod adest per consecrat-
 ionem, Xtus.

iii) Offertur Xtus ut Victimam in cruce cruenta immolata. Hoc est
 fundamentale in nostra sententia. Diversimodo proponitur haec assertio:
 v.g. Offertur passio Xti et mors; Offertur Xtus passus et mortuus,
 etc. Probatur ex multiplici capite:

EX S.S. In Missa offerimus quod Xtus in coena obtulit.

Atqui In coena Xtus obtulit passionem suam et mortem.

Ergo.

Minor probatur ex Epistola ad Hebraeos cc. V-VII ubi S. Paulus
 clare et eloquenter dicit Xtum agentem sacerdotem secundum ordine
 Melchisedech obtulisse sacrificium quo abluti sumus omnes.

Passione autem et morte Xti abluti sumus, et tantum in coena egit
 Xtus sacerdotem secundum ordinem Melchisedech.

EX CONC. TRID. s. 22, c. 2 (940) "Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa."

Quare, quamvis sacrificia multiplicentur multiplicatis oblationibus, servatur tamen vera quaedam unitas ratione hostiae oblatae, "sola offerendi ratione diversa". Qualis est illa unitas hostiae? Sermo est de comparatione inter Missam et sacrificium crucis.

- a) Formalis, ita ut hostia crucis, omnino in quantum talis offeratur in Missa? An
- b) Materialis tantum, ita ut in Missa offeratur ille qui erat hostia crucis, expertus tamen nunc cuiusque conditionis: imolatio crucis? An
- c) Materialis tantum, ita ut in Missa offeratur ille qui erat hostia crucis, ut nunc tamen nova quadam et specie alia immolatione reali affectus?

Primum si eligis, iam clarescit unitas illa quae a Concilio affirmatur, "Sola offerendi ratione diversa." Secundum si eligis, videtur perire veritas sacrificii, deficiente victimae veritate. Tertium si eligis, quomodo non perit prorsus illa unitas hostiae, sola ratione offerendi diversa, ubi et ratio immolandi sit et numero et specie diversa?

Porro qualis fuerit mens Concilii videtur eluscescere ex argumento illorum episcoporum quibus maximopere debemus capita de sacrificio Missae. Illi quidem dixerunt Xtus obtulisse in coena seipsum. "non sunt tamen duae oblationes sed una cum illa crucis". "Est igitur una hostia et una oblatio illa coenae et crucis, estque utraque indissolubilis." Alia videre licet apud Theiner, I, 79-87; de la Taille, 113 sq. ergo in coena obtulit Xtus ipsissimum crucis. Quod ille fecit, facimus nos.

EX TRADITIONE. De testimoniis Patrum haec notanda sunt:

- i) Nullus Pater sententiam nostram de hac re evoluit. En valor operis P. de la Taille. Sed neque ullus Pater, ut videtur, somniavit quidem unquam de exinanitione illa reali Lugonis, degradatione reali ad statum decliviorum in quo Xtus fit similis rei inanimatae.
- ii) Re quidem vera PP. non tractaverunt de hac re formaliter
- iii) Sat multi PP. de sacrificio sive coenae sive Missae verba scripserunt, quae secundum nostram sententiam non solum intelligi possunt, sed sensu magis naturali intelliguntur
- iv) Aliqui PP. verba scripserunt quae sat clare indicant nostram sententiam, clarius excludunt sententiam Lugonis.
- v) Nullum restat dubium de nostra sententia vigente apud Theologos ante Concilium Tridentinum et in Concilio.

CYPRIANUS: Ep. 63; P.L. 4. "Sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari (nequit) nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni."

n. 9. Col. 381. "Passio est enim Domini, sacrificium quod offerimus n. 17. Col. 387. Unde apud Cyprianum sacrificium Eucharisticum in hoc consistit, quod offeratur Deo vere, in quadam representatione sua, immolatio illa Xti in Passione caesi.

CHRYSOSTOMUS: In Hebraeos, Hom. 17, 4. P.G. 63, 130-131.

Validissime inculcat esse Xtum formaliter unum in ratione hostiae respectu et omnium sacrificiorum nostrorum et sacrificii sui cruenti: "Una est inquit (Paulus) haec hostia, illae autem multae. Idcirco scil. infirmae, quia multae. Propterea et quod multae erant, et quod semper offerebantur, ostendit numquam (Judaeos) per eas mundari...Quid vero? Annon nos cotidie offerimus? OFFERIMUS QUIDEM, SED MEMORIALE FACIENTES MORTIS EJUS: ET UNA EST HAEC HOSTIA NEC MULTAE. Quomodo una nec multae? QUONIAM SEMEL OBLATA EST SICUT ILLA IN SANCTA SANCTORUM. Hoc (quod agimus) similitudinem gerit illius (quod fecit Christus), et haec (quam obtulit Xtus) illius (quae offerebatur in Sancta Sanctorum). Eundem enim semper offerimus; non nunc quidem aliam ovem, cras aliam, sed semper eandem, ita ut una sit hostia. Aliunde hac ratione quoniam multis in locis offertur, suntne et multi Xti? Nequaquam sed unus ubique Xtus, qui et hic est plenus et illic plenus, unum corpus. Quemadmodum igitur multis in locis oblatus, est unum corpus et non multa corpora, sic et est UNA HOSTIA. PONTIFEX NOSTER ILLE EST QUI OBTULIT HOSTIAM NOS MUNDANTEM. ILLAM OFFERIMUS ETIAM NUNC QUAE TUNC EST OBLATA, QUAE EST INCORRUPTIBILIS...NON ALIUD SACRIFICIUM sicut pontifex SED IDEM SEMPER FACIMUS. POTIUS AUTEM COMMEMORATIONEM FACIMUS SACRIFICII. Ex his verbis elucet nos offerre non solum eundem Xtum, sed eidem subjacentem sacrifice, siquidem eadem est hostia crucis et nostra, quae nunc est incorruptibilis, ita ut nostrum sacrificium potius imago sacrificii dicendum sit propter defectum realis immolationis.

AUGUSTINUS: Contra Faustum, Lib. 20, 18-21. P.L. 42, 382, 385.

"In psalmis canitur: "Sacrificium laudis glorificabit me...Huius sacrificii caro et sanguis ante adventum Xti per ipsam veritatem reddebatur; post Ascensum Xti per Sacramentum memoriae celebratur...(Immolabantur sacrificia Hebraeorum) vero uni Deo, ut Ei offeretur similitudo promittens veritatem sacrificii, Cui erat offerenda (a nobis in commemoratione illa sacramentali) ipsa red-dita (a Christo) veritas in passione corporis et sanguinis Xti."

NICHOLAUS CABASILAS: P.G. 150, 440-441. Agens de doctrina Paulina de Xto semel nec iterum sacrificio asserit:

"Sacrificium hoc non esse imaginem et figuram sacrificii sed verum sacrificium. Non esse panem id quod sacrificatur, sed ipsum Xti corpus; et praeterea unam esse agni sacrificium et eundem semel factum...Quia enim hoc sacrificium fit, non mactato ea ipsa hora Agno, sed pane mutato in Agnum antea mactatum, evidens est fieri mutationem quidem non autem tunc fieri mactationem."

PETRUS CLUNIACENSIS: Cont. Petrobrusianos. P.L. 189, 797-798.

"Morte ipsius totius mundi peccata tolluntur.. Hoc est nostrum sacrificium... Quod tunc semel in cruce a Dei et hominis Filio Deo oblatum est, et quod semper in altari ab ipsius populo offerendum ab eodem praecceptum et institutum est. Non enim aliud tunc oblatum est, aliud nunc offertur, sed quod semel Xtus obtulit, HOC SEMPER ECCLESIAE SUAE OFFERENDUM RELIQUIT."

GULIELMUS PARISIENSIS: De Sacra Eucharistia Op. t. I, p.447.

"Missa est EJUS FRAGRANTISSIMI SACRIFICII OBLATIO, CUJUS SUAVITATIS ODORE MUNDUS DEO RECONCILIATUS EST, et totus ejusdem foetor abstersus." Sane sacrificio passionis et mortis dominicae reconciliatus est mundus Deo.

ALBERTUS MAGNUS: 4 D. 13, Art. 23. De hoc testimonio notandum est apud Albertum, immolationis nomine designari per prius quidem mactationem seu occisionem, per posterius autem oblationem rei occisae seu immolatae. Quibus positis, respondet ad questionem utrum necne Xtus immoletur in omni sacrificio sic: "Xtus omni die verissime immolatur, cum sacrificium Deo Patri offertur... Etenim cum, ex parte rei oblatae, SEMPER MANEAT OBLATIO PRO NOBIS OBLATA ET OFFERENDA, semper immolamus et semper sacrificamus.... Immolatio nostra non tantum est repraesentatio, sed immolatio vera, id est REI IMMOLATAE OBLATIO per manus sacerdotum. Unde duo dicit scilicet. REM OCCISAM ETOBLATIONEM; quia immolatio proprie est OBLATIO OCCISI ad cultum Dei. Et QUOAD OBLATIONEM, NON EST REPRAESENTATIO TANTUM, sed VERUS ACTUS OFFERENDI. Sic autem non est de occisione et crucifixione."

MELCHIOR CANUS: De Locis Theologicis. Lib. 12, c. 12. "Etsi Xti corpus in Eucharistia vivum est, ac sanguis in corpore, non tamen a nobis aut corpus offertur quia vivum est, aut sanguis quia est in corpore; sed ILLUD QUIA MACTATUM; HIC QUIA EFFUSUS IN CRUCE...Quia vero, licet oblatio illa et mactatio externa transierit, sic tamen coram Deo constat acceptabilis et perpetua virtute consistit, ut non sit minus hodie in conspectu Patris efficax quam eo die quo de saucio latere sanguis exivit. IDEO VERE NUNC OFFERIMUS EAMDEM CRUCIS HOSTIAM CUM XTO PERINDE ATQUE ILLI QUI ERANT JUXTA CRUCEM; Quamvis illi, nullo posito sub oculis simulacro, quia nullo tunc opus erat, cum res ipsa viva in praesentia esset, atque ante oculos proposita; nobis autem per imaginem Xtus hostiam illam excitabit, et quasi in quodam exemplari statuit ante oculos. Sed imago haec et exemplar nihil revera obstat, cur non eundem illum sanguinem modo offeramus, quem Xtus fudit in cruce, non aliter ac si nunc coram offereretur."

PETRUS CANISIUS: Op. Catech. de Sacram. q.7 "Missae sacrificium, si rem omnem aequè perpendimus, est revera DOMINICAE PASSIONIS ET ILLIUS CRUENTI SACRIFICII QUOD IN CRUCE PRO NOBIS EST OBLATUM, sancta quidem et viva repraesentatio ATQUE SIMUL INCRUENTA ET EFFICAX OBLATIO."

Alia plura et praeclara testimonia licet videre apud de la Taille, *Mysterium Fidei*, Bluc. 19, pp. 237-253.

EX LITURGIIS. cf. de la Taille, *ibid.*

EX RATIONE THEOLOGICA: Offerimus in Missa id quod Xtus in coena obtulit. Atqui: In coena Xtus obtulit passionem suam et mortem. Ergo.

Ad Min: Si sacrificium in coena in se completum fuisset et distinctum a sacrificio crucis, iam ante passionem redemisset homines, pro quibus repropitiandis erat oblatum. Testatur enim ipse Xtus iam effundi HIC ET NUNC sanguinem PRO MULTIS IN REMISSIONEM PECCATORUM. Non enim posset illud sacrificium propitiatorium esse irritum, i.e. non acceptatum a Deo, aut inefficax, aut minoris valoris quam crux. Non posset non igitur, attingere finem propter quem oblatum est. Ordinebatur autem actu, ac de praesente, illa litatio Xti ad satisfaciendum PRO MULTIS IN REMISSIONEM PECCATORUM

iv) OFFERTUR XTUS UT VICTIMA PERSEVERANS IN AETERNUM ACCEPTATA.

In Missa offertur Xtus, qualis nunc existit.
Atqui Nunc existit ut victima perennis in aeternum acceptata.
Ergo...

Ad Min.

EX S.S. Hoc modo extollit S. Paulus sacerdotium Xti super sacerdotium Aaronicum: Quemadmodum summus pontifex solus intravit in sancta sanctorum cum hostia sua, eam sistens coram Deo, ita Xtus in ipsum coelum penetravit cum hostia sua, proprium suum sanguinem effusum, eam sistens in conspectu Dei. Pontifex olim hoc quotannis fecit; Xtus semel introivit, semel hostiam suam obtulit, i.e. seipsum ut hostiam. Qualem autem intravit, talis fuit a Deo acceptatus, et talis manet in aeternum. Ad Heb. cc. 9-10.

Hoc modo describit S. Joannes Xtum in coelis: "Et vidi, et ecce in medio throni... Agnum stantem tanquam occisum... Dignus es, Domine, accipere librum... quoniam occisus es, et redemisti nos Deo. Dignus est Agnus, qui occisus est accipere virtutem." Apoc. 5,6-12.

His notis sacrificialibus cultus quidam signatur coelestis et perennis, consistens in exhibitione ipsius Xti coram Deo, tanquam olim occisi, manentisque inde quadam proprietate immolantia perenniter insigniti in laudem Dei et clarificationem sanctorum.

EX PP. et THEOLOGIS. Citari possunt cum P. de la Taille Chrys. p. 132; Ephraem, p. 40 et alii; etiam Cajetanus p. 267-268. St. Thomas supra citatus p. 5. "Dicuntur fieri cotidie... offerre, sacrificare et huiusmodi, eo quod hostia illa perpetua est, et hoc modo est semel oblata per Xtum, quod cotidie etiam per membra ipsius offerri potest." 4 Sent. D. 12.

II. Probatur ASSERTUM MINORIS.

Elementa essentialia veri sacrificii continentur in oblatione actuali Deo sensibiliter facta a sacerdote vere immolatae hostiae.

Atqui: Consecratio quatenus descripta est dicit talem oblationem
Ergo...

ARGUMENTUM ALTERUM.

Illam sententiam admittenda est probabilior, quae

- i) praeservet omnia quae ad naturam sacrificii requiruntur,
 - ii) principia habet in revelatione bene fundata,
 - iii) optime congruit cum doctrina SS.PP., Conc., et Liturg.
 - iv) defectibus et obscuritatibus aliarum sententiarum caret.
- Atqui: Talis est sententia in thesi propugnata. Ergo...

- Ad Min. 1) adsunt sacerdos actualiter offerens, hostia in vero statu immolationis; oblatio sensibilis.
- ii) et iii) ex argumenta supra.
- iv) non deest vera formalis victima, proprietate scilicet affecta victimali intrinseca. Deest tamen ut non nunc requisita illa actualis saepe repetita victimizatio Christi, quae est valde sane intellectu difficilis, nec cohaeret bene cum aliis revelatis de Christi immutabilitate, de Ejusque oblatione semel facta.

DIFFICULTATES AB ADVERSARIIS DATAE

1. Oblatio formalis, ab immolatione in cruce distincta, aut necessaria est aut non.

Atqui, neutrum dicere possunt de la T. et McD. Ergo Prob. Ima pars Minoris, quam certo negamus.

Non possunt illi dicere oblationem formalem inveniri in verbis consecrationis. (Ratio, quia haec verba ostendunt immolationem.)

Atqui, alibi non possunt invenire hac oblationem. Ergo.

R. Neg. Maior, et ratio data. Ac si oblatio formalis non posset sensibilizari, ut ita dicam, aliqua actione, quae est simul immolatio mystica.

Ergo, sacrificium coenae perfectius est sacrificio crucis, et alia dif.
2. Sacrificium, quod habet simul oblato et immolatione, perfectius sacrificio, quod habet solum immolationem.

Atqui, ex priora solutione sac. coenae habet tum oblato, tum immolationem.

R. Nego suppositum minoris subsumpti, quod scilicet duo sunt sacrificia distincta. Nego quod ex priora solutione sequitur immolationem realem inveniri in coena. Immolatio mystica minime perficit sacrificium.
3. Oblatio formalis sacrificii summi et publici, qualis est crucis, debet esse et ipsa publica.

Atqui, oblatio, si qua daretur in coena, non erat publica. Ergo.

R. Tr. Mai. Nego Min. Estne missa celebrata coram duodecim in sacello actus cultus publicus?
4. Oblatio in coena fuit incruenta.

Atqui, oblatio in cruce fuit cruenta. Ergo, non eadem oblatio.

R. Dist. Mai. fuit incruenta, in quantum in coena sanguis non actualiter effundebatur, C.

ita ut non fuerit facta in ordine ad realem effusionem, et non perseveraverit sub actuali maceratione, N.

C. Dist. Min. fuit cruenta, quia liturgice facta in ordine ad realem effusionem sanguinis, et persev...C.

fuit cruenta, quatenus ipsa formalis oblatio constituta sit in actuali maceratione sanguinea, N.

5. Si immolatio incruenta est oblatio liturgica, a fortiori immolatio cruenta erit oblatio liturgica.
Atqui hoc alterum negat de la T. Ergo, negandum est in primam
- R. Mirum sane est theologum serio posse talem olectione proponere. Quomodo potest immolatio cruenta, actio a Iudaeis deicidibus imple peracta esse oblatio liturgica Xti?!!!
6. Si oblatio crucis fuit oblatio in coena peracta, missa non differt a cruce ratione offerendi in uno casu cruento, in alio incruente.
Atqui, secundum Conc. Tr. ita inter se different. Ergo.
- R. Solvitur obscuritas cum distinctione data supra in dif. 4ta. Oblatio crucis in coena facta fuit cruenta modo quo nostra oblatio in missa eiusdem crucis minime potest dici cruenta. In decursu nostri sacrificii integri nulla intervenit immolatio vera et cruenta; in sacrificio Xti, in coena inchoato in cruce finito talis intervenit.
7. In Missa completum fit sacrificium consecratione.
Atqui, eiusdem valoris fuit consecratio in coena a Xto peracta. Ergo, in coena fuit sacrificium completum.
- R. Dist. Mai.... consecratione, qua praesens sistitur et offeritur Xtus ut victima realiter immolata et perennis, C.
 ...consecratione, qua... praesens statu vere immolatio
- Dist. Min.... eiusdem valoris, quantum ad praesentem faciendum Xtum Eumque offerendum, Tr.
- Obs. Ante occisionem nequit haberi "oblatio occisi". Essentia sacrificii missae invenitur quidem in consecratione. Non inde tamen sequitur, ubicumque habetur consecratio, habetur missa. Est enim in consecratione non in quantum consecratio dicit transsubstantiam. Sub hac formalitate consecratio est opus totius Trinitatis. Sed in quantum consecratio dicit oblationem victimae realiter immolatae, et nunc in statu victimali perennis.
8. Id quo peracto, habetur sacrificium perfectum, perfectius est quam id, quo peracto, non habetur sacrificium perfectum.
Atqui, peracta oblatione in missa, habetur perfectum sacr.; peracta oblatione in coena, non habebatur sacr. perf. Ergo.
- R. Dist. Mai. id ..habetur sacr. perf., quia magis completum ex se solo, perfectius est...C. sed Nego suppositum.
 id...habetur sacr. perf., propter diversam relationem ad unum idemque factum extrinsecum, N.
 C. Dist. Min.... quia prior oblatio ex se sola facit ut habetur sacr. perfectum, quod altera, scilicet in coena, non potuit officere, N.
9. Si differentiae modales temporis et offerentis faciunt ut coena non sit missa perfecta, differentiae profundiores faciunt ut nostra missa non sit sacrificium crucis
Atqui, hoc alterum nefas est dicere. Ergo.
- R. Dist. Mai. si...formaliter qua tales faciunt ut coena non sit missa, Tr. et nego suppositum.
 si illae differentiae, quia connotant victimam realem immolatam adesse in Missa, in coena non adesse, N.

Obs. In nostra sententia prima missa non fuit perfecta in ultima coena, sed tunc domum quando Xtus in cruce fuit realiter immolatus. Liturgice obtulit Xtus, sacerdos Melchisedechicus, in coena seipsum ut victimam crastina die immolandam. In coena fecit liturgice id omne quod faciunt sacerdotes in sacrificiis offerendis. Immolare est opus non-sacerdotale. In aliis sacrificiis cruentis praecedebat immolatio oblationi. In sacrificio autem, in quo victima immolanda et sacerdos offerens unus idemque est Xtus, quo pacto fieri potest ut post immolationem habeatur oblatio?

10. Numorice unitas nequit praedicari inter duas partes constitutivas alicuius compositi.

Atqui, secundum nos coena et crux sunt duae partes constitutivae unius sacrificii. Ergo.

R. Haec obiectio scaturit tenebris. Quid dicimus? Oblatio in coena et immolatio in cruce coalescunt ad unum sacrificium verum efficiendum. Haec unitas est in ordine signorum, non alicuius physici compositi. Significatum est subiectio et dedicatio totius generis humani sub capite ipsi dominio supremo Dei ad Eum placandum de peccatis patris. Oblatio in coena liturgice peracta non cessavit in coena, sed numquam retractata, repetitis actibus voluntatis Xti perseverans, habet etiam in cruce, quando victima immolatur, de victima materiali fit victima formalis. Immolatio in cruce peracta, in quantum est actio deicidarum, non intrat ut pars constitutiva sacrificii Xti; sed praerequiritur, ut causa effectui, victimae formalis, victimae scilicet in reali statu immolatio, sine qua victima sacrificium verum et praesens non habetur perfectum.

11. Achilles adversariorum nostrorum his diebus invenitur in Conc. Tr., S.22, c.1 (938), ubi secundum adversarios Conc. opponit inter se duo sacrificia Xti distincta, unum in coena, alterum in cruce. Quare perit unitas numerica asserta inter sacrificium a Xto oblatum in coena et consummatum in cruce. Quam difficultatem, sane non leve prima facie, ut solvamus, haec de historia huius capituli Concilii, accipiat.

Asserunt Lutherani

a) Xtus semel in cruce obtulit sacrificium pro redemptione hominum ex se plus quam sufficiens.

b) ERGO, aliud sacrificium in Ecclesia invenitur nullum. Alias derogatur de efficacia crucis.

Asserunt PP. Trid.

Quod dicitur verissimum est, Xtus semel in crucis ara obtulit sacrificium cruentum redemptivum totius generis humani

ET TAMEN, etiam Ecclesiae reliquit sacrificium visibile, sacrificii crucis repraesentativum, eiusque applicativum

Hoc ultimum assertum PP. Trid. probant Leynes alique theologo ex multis locis. Sed suboritur inter Episcopos difficultas. Si in Missa est sacrificium, in coena est sacrificium. Quia facimus nos, quod fecit Xtus. Si autem in coena est sacrificium, evacuatur crux. Est enim inutilis, mundo iam redempto. Et in

duas partes scinditur coetus Episcoporum. Alii quidem dicunt 'ne dicamus Xtum obtulisse sacrificium in coena, saltem non sacr. propitiatorium; omittamus sermonem de hac re, de qua nescimus veritatem.' Alii vero dicunt, 'dicamus Xtum obtulisse sacrificium in coena, et quidem propitiatorium; aliter debilitatur nostrum assertum de sacrificio Missae propitiatorio, et Lutherani dicent nos effugere de impugnationibus eorum. Porro possumus clare explicare rem (ita aliqui et quidem eminentissimi) et evitare difficultatem fratrum nostrorum ex alia parte. Nam "non sunt duae oblationes, sed una cum illa crucis. Nam in coenae oblatione coeperat pati, et fuit continuata cum illa crucis; fuitque expiatoria, quia est eadem cum illa crucis." (parisiensis) "Tunc coepit se offerre, perfecit autem in cruce." (Panormitanus) "Quae eadem est oblatio cum illa crucis; nam tunc coepit, postea consummavit." (S. Agathe) "Et obtulit expiatorie, in coena coepit, in cruce consummavit." (Vicensi) Haec pars reportavit victoriam; et in capite legimus

c) Et hoc fuit in causa, cur in novissima corpus et sanguinem Deo Patri obtulit, agens sacerdotem Melch., praecepitque apostolis ut eadem offerrent.

Quare respondeo ad difficultatem:

Non dicitur in Conc. Xtum aliud diversum sacrificium obtulisse. Sensus rite intelligitur, si dicimus: Xtus non solum in cruce obtulit sacr., sed idem sacr. liturgice secundum ord. Melch. obtulit in coena, ut nos, faciendo quod fecit Ipse in coena, possemus habere visibile sacrificium in Ecclesia. Oppositio est inter duos modos offerendi idem sacrificium.

Si ergo in forma ponatur obiectio:

Secundum Trid. Xtus in coena obtulit Deo Patri corpus et sanguinem. Atqui, in contextu Conc. Trid. offerre corpus et sanguinem est perficere sacrificium in se tunc completum, distinctum a cruce. Ergo.

R. Nego Minorem, donec probatur stat nostra thesis. Probatur Minor:

"Xtus obtulit in coena" in contextu significat id quod intellexerunt Episcopi Tridentini, quando asserebant in conventu "Xtus obtulit in coena"

Atqui, illi intellexerunt, Xtus obtulit sacrificium in coena tunc completum in se. Ergo.

R. Dist. Mai. ...id quod intellexerunt Episcopi Tridentini illi, qui maxime urgebant introductionem huius sententiae, eiusque explicationem dederunt ad solvendam difficultatem aliorum, qui noluerunt eam introd. C. primo urgebant introductionem huius sententiae, N.

C. Dist. Min. aliqui Episcopi ita intellexerunt rem, praesertim quando primo urgebant introductionem hanc, Tr.

illi ita intellexerunt, qui maxime urgebant rem et solutionem dederunt difficultatis praesae ab aliis contra introductionem talis sententiae N.

Obs. Ex historia supra relata manifestum est aliquos inter Episcopos intellexisse Xti oblationem in coena factam fuisse unam cum oblatione crucis, non ab ea distinctam; fuisse quamdam inchoationem oblationis, non tunc perfectae, sed in cruce perficiendae. An talis oblatio intelligitur perfecisse sacrificium in se completum distinctum a cruce? Et tamen verisimile est suffragia, data sub finem ab aliis Episcopis ex alia parte fuisse data non solum post sed etiam propter illam explicationem et solutionem rei. Et sententia in capite Concilii incorporata ita est intelligenda secundum mentem illorum Episcoporum, qui solutionem dantes removerunt obstaculum ne introduceretur illa sententia. Eodem intelligitur oblatio in coena et in cruce hoc sensu, quod est oblatio eiusdem rei formaliter, primo in coena facta et eadem repetita usque ad ultimum halitum in cruce. Porro Concilii mens fuit damnare Lutheranos, non quaestionem agitatum inter theologos dirimere, multo minus excludere sententiam tunc temporis sat communem, in ipso Concilio propositam, in conventionibus non negatam sed a nonnullis Episcopis acceptatam.

12. Quod facimus nos in Missa, idem fecit Xtus in coena
Atqui, in Missa oblatio nostra facit sacrificium completum.
Ergo...
 Ita Billot in nova editione sui operis de Sacramentis.
 R. cf. supra Dif. 7.

13. (Haec difficultas eadem est ac invenitur sub numero 11. Hic tamen ponimus verbis Billot, ed. 6ta. de Sacr., p. 602-3)
 Argumentatur cl. doctor ex Conc. Trid. s.22, c.1, oblationem coenae non solum non haberi uti partem sive essentialem sive integram sacrificii crucis, sed haberi e contra, ut quae ei per omnia opponitur. Postquam citaverit verba Concilii, sic persequitur: "Certe conjunctio 'etsi' id adducere solet, quod alias obstaculo esset, ut saltem videri posset, ei quod sub correlativo 'tamen' consequenter enuntiatur; adeoque non nisi absurde sub illo 'tamen' poneretur id quod se haberet ad antecedens uti eius pars, vel connaturale praeludium, vel necessarium consecrarium, atque ita porro. Et sane nunquam diceres e.g.: etsi domum aedificaturus, eius tamen fundamenta ieci; vel etsi mox profecturus, amicis tamen valedixi, aliave similia. Si ergo Concilium in oblatione coenae agnovisset partem constitutivam, eamque initialem sacrificii crucis, procul dubio dixisset: Is igitur Deus..., cum, vel quia, praecise quia, seipsum in ara crucis morte intercedente immolaturus erat...in coena...obtulit...Nunc autem Concilium dicit: EPSI semel cruenta in ara crucis, TAMEN in coena... Omnino ergo prohibet dicendi modus a Tridentino adhibitus ne habeatur oblatio coenae pro parte sive essentiali sive integrali sacrificii crucis, sed unam oblationem alteri oppositam et ab ea condivisam cogit intelligere."

Cui obiectioni Eminentissimi Principis respondemus dupliciter:

R. 1) Quoad exempla proposita, quae revera non sunt ad rem.

Si quis mihi strenue diceret: Suam domum aedificavit feria III, ergo non aedificavit illam feria II; non solum non absurde sed sobrie valde et prudenter possem respondere: ETSI domum suam aedificaturus erat feria III, fundamenta TAMEN eius iecit feria II. Et fundamentum esset pars, connaturale praeludium domus feria III aedificatae. Item possem dicere: ETSI die Dominica summo mane profecturus eram, amicia TAMEN valedixi vespere Sabbati.

Iamvero Novatores cum magno strepitu clamitabant Xtum suum sacrificium unicum redemptivum in cruce obtulisse; ideoque Ipsum sacrificium in coena obtulisse nullum. PP. Tridentini reponebant: ETSI semel in ara crucis, morte intercedente oblaturus erat, TAMEN in coena novissima liturgive, sacerdotem agens secundum ordinem Melch. oblationem illam incoepit, ut nos oblationem illam, quo modo incoepa est in coena, imitantes, possimus idem sacrificium crucis indesinenter offerre.

R. 11) ad ipsam difficultatem, quae in forma poni potest sic:

ETSI id adducere solet, quod alias obstaculo esset, aut saltem videri posset, si quod sub TAMEN enuntiatur. atqui, in sententia nostra id non obtinet. Ergo reiicienda

R. Conc. Mai. Nego Min.

Prob. Min. - ETSI in Conc. adducit, secundum nostram sententiam, aliquod factum, cuius inceptio enuntiatur sub TAMEN.

atqui, aliquod factum non est, nec cuiquam videri potest, obstaculo inceptio sui ipsius. Ergo.

R. Dist. Mai.

..adducit aliquod factum simpliciter in se consideratum, cuius...inceptio simpliciter in se considerata enuntiatur...N.

..adducit aliquod factum sub certis quibusdam adiunctis consideratum, cuius inceptio sub certis quibusdam adiunctis considerata enuntiatur sub TAMEN, C.

C. Dist. Min. et Nego Cons. et Consequentiam.

Videmus igitur quomodo inter exempla proposita a Billot et casum nostrum nulla sit paritas. Necessae est semper intelligamus adiuncta historica verborum Concilii et omnia eius verba sub luce eorum perpendere. Sumamus et hoc exemplum. Disputatur inter nonnullos quo die Romani contra Turcos bellum indixerint, alii asserentes hoc factum esse feria VI in Prarse., et rationem afferunt se eo die interfuisse primae pugnae; alii asseverantes hoc factum esse feria V, et rationem afferunt, quod sic legitur in documentis. Loquitur auctoritas competens; ETSI actu bellum Turcos impugnando feria VI indicturi erant, quia TAMEN noluerunt posteris suis tradere bellum illo die sacro fuisse incoepum, feria V in solemnibus conventu sub forma civili bellum contra Turcos indixerunt, et sic in documentis reliquerunt legendis.